

Reverendissime et Illustrissime Domine.

Ioannes Abbas celeberrimi monasterii Caesarensis, Ordinis Cisterciensis, antecessorum suorum vestigia secutus, hactenus calices tam proprios monasterii, quàm aliunde allatos consecravit, sed postea animadvertens id non ex iure communi, neque ex aliquo speciali privilegio fieri, scrupulo tactus est. itaque de facultate hac a Summo Pontifice impetranda per generalem procuratorem sui ordinis Romae agere coepit, sed sine effectu. Per me igitur nunc ad Reverendiss. et Illustriss. D.V. confugit, cui reverenter et humiliter supplicat, ut pro ea, qua apud Dummum Pontificem, plurima auctoritate et gratia meritissimo valet, monasterio hanc gratiam obtinere dignetur, quia sine multorum scandal^o et offensione desistere nequit propter antecessores suos, qui privilegium quoddam Sixti IV nimis forsan laxè interpretati, facto suo opinionem excitarunt, Abbates Caesareenses potestate consecrandi calices praeditos esse. Meretur autem ipse Dñs Abbas ut hoc beneficium Illustriss. D.V. in illum conferat, quia vir est religiosissimus, nostrae Societatis amantissimus, monasterium, cui praesidet, amplissimum, inter medios haereticos situm: et aliquot Abbates in Germania, quorum monasteria cum Caesareensi nec incolarum numero, nec auctoritate, nec opibus comparanda sunt, ex privilegio calices consecrant. Adiunxi autem hanc formulam secundum quam Dñs Abbas privilegium concipi et conscribi optat. Deus Rever^{mam} et Illustriss. D.V. ecclesiae suae diu adhuc superstitem conservet. Ingolstadii 19 Augusti 1612.

Illustriss. et Reverendiss. D.V.

Servus indignus

Iacobus Gretserus

München, Reichsarchiv
Jesuitica in genere
Fasc. 19 N. 326.

Origin. autogr.

Adr.: Reverendissimo et Illustrissimo Dño Roberto Bellarmino, S.R.
E. Cardinali amplissimo.

(cachet de la c^{1e})

Romam.